



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

8. Veneris familia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

pudiva dea? Cur? ut eam reddant propitiam sibi? an quidquam execrabilius in gente tam sancta, & à Deo peculiariter electa? in sexu, quem verecundiam docet natura, quem insita pietas in castæ religionis inclinatum studium? Nempe ab apro occisus est Adonis, etiamnum puer. Licet hic illud è SS. litteris usurpare: *fera pessima devoravit eum.* Gen. 37. Nam quæ bellua crudelior, quàm dira libido? uno quæ morfu perimit innocentiam, & indolem cælo natam transmittit in fauces Tartari. Cave nemus Idalium, quisquis cautum saluti voles, adolescens. Tot Venus in te immittit apros, quot pravos tibi adsciscis socios. Apris fulmen est in dentibus, perniciosis congerronibus in lingua. Deplorata non redit Castitas.

Pingitur Adonis, ait Macrobius l. 1. Sat. capite obnupto, specie tristi, faciem manû læva intra amictum sustinens, lacrymæ visione conspicientium manare creduntur. Nempe Dolor nascitur ex Voluptate; quæ, cum initio sit mellea, acescit ad extremum: quodque ait M. Tullius pro Cælio: Amores & deliciae maturè & celeriter deflorescunt, & in omnibus rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est. Id quod de Hypani fluvio memorat Herodotus lib. 4. eam ab initio dulcem fluere, deinde valde amarum effici. De amore Poëta multa paucis.

Spes incerta, timor constans, fugitiva Voluptas,
Gaudia mœsta, dolor dulcis, amarus amor.

Et alius:

Libertas carcer, pax pugna, dolenda Voluptas,
Spes metus est, fel mel, seria ludus amor.

Nec immeritò Adonis in florem cognominem, seu *Anemonem* eiusdem cum sanguine coloris, conversus fingitur: qui, ut inquit Plinius, nunquam se aperit, nisi vento spirante, unde & nomen accepit. *ἀνεμος* enim ventus dicitur. Forma flos brevis ævi; bonum fragile, anceps, fugax.

Immodicis brevis est ætas, & rara senectus. Martial. lib. 6.
In anemonem itaque mutatur Adonis, cuius florem, ut & rosæ:
Una dies aperit, conficit una dies.

Et cuius formæ (aut voluptatis) ventus quilibet spoliū aufert.

VIII. (k) Inter alia de laudibus præclaræ huius deæ hoc Ambrosius lib. 1. de Cain. c. 4. Illic (ubi Venus habitat) comessantium tumultus, concertantium clamor, litigantium cædes, concentus canentium,

X x x 2

sal-

(k) Veneris familia.

saltantium strepitus, ridentium cachinnus, lascivientium plausus, confusa omnia. Et cap. 5. Sævus criminum stimulus Libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, potiundo inflammat, ubique accenditur. Caverent sibi ab hac meretricula Juvenes, si monentem audirent Comicum.

Id verò est, quòd mihi puto palmarium
 Me reperisse, quo modo adolescentulus
 Meretricum ingenia & mores posset nôsse:
 Mature ut cum cognòrit, perpetuò oderit.
 Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius,
 Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans;
 Quæ cum amatore suo cum cœnant, liguriunt.
 Harum videre illuviem, sordes, inopiam,
 Quàm inhonestæ solæ sint domi, atque avidæ cibi,
 Quo pacto ex jure hesterno panem ærum vorent:
 Nôsse omnia hæc, salus est adolescentulis.

Terentius in Eunuch.

In Venerem, Cupidinem sinu foventem, sic quidam:
 Deciduum alternis reparat quid foetibus Orbem?
 Fertilis hæc cœlo nata favente Venus.
 Quid mentem, virésque virùm funestiùs haurit?
 Hæc eadem pelago nata furente Venus.
 Quid Venus est igitur? lethalis vita, venenum
 Mulcens, mors Venus est blanda, jocúsque nocens.



SYM-